Pg
4

TJC 26
27

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
SCHACHT, T.P.

55775/A

S6

THEODORI PHILIPPI SCHACHTII,
Med. Doct. Archiatr. Naſſavia-Dillæburgici
& Prof. Publ.

DISSERTATIO:

In Qua

Acidularum Brabacenſium, Praefecturae Mengerskirchenſis, ſalubritas, qualitates & Vires, cum genuino uſurpandi modo, ex principiis Phyſicis, Chymicis & ipſa Experientia traduntur.

HERBORNAE NASSAVIORUM,
TYPIS, JOH. NICOLAI ANDREAE.

ANNO MDCCXX.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

CHRISTIANO

PRINCIPI NASSOVIO,
COMITI CATTIMELIBOCI,
VIANDAE ET DECIAE,
DYNASTAE IN BEILSTEIN

Cet.

ORDINIS A S. HUBERTO EQUITI,

ET

LEGIONIS PEDESTRIS FOEDERATI BELGII DUCI,

Diſſertationem hanc

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIVM.

NIhil in immenſa rerum univerſitate iners aut otioſum, nihil fortuito, nihil fruſtra effectum eſt. Plantis omnibus indita vis ſua, ſingulis animalibus ſua naturae inclinatio. Hinc Deus effector & Moderator tanti muneris quum colluſtraſſet, quae ſex dierum ſpatio perfeciſſet, viſa ſunt

illi inſigniter bona, Gen. 1. De hac re diſſeruiſſe ſapienter mihi videtur *Ariſtoteles*, quando hujusmodi verbis loquitur: *nihil in natura rerum tam minutum, tamque abjectum, quod non aliquid admirationis hominibus adferat*; Jehova enim ſapientia fundavit terram, ſtatuit coelos intelligentia, ſcientia ejus abyſſi diviſae ſunt, & ſuperiores nubes diſtillant rorem Proverb. III. v. 19. & 20. Quis ergo non ſingularem Dei clementiam in ſervandis rebus, cum bonitatem, tum ſapientiam praedicet? Quid, quod non totum homi-

minum genus ad laudem, celebrationem, gratiarum actionem provocet? An non exclamare cum divino Vate cogimur: bonitate Domini plena eſt univerſa terra Pſ. CIV. v. 24. Inprimis celebranda nobis infinita Dei benignitas, quod omnivariis remediis, in quibus divini Numinis ſapientia aeterna ac ineffabilis ſe conſpiciendam velut in ſpeculo quodam offert, ad morbos corporis noſtri curandos, viresque redintegrandas, clementer proſpicere voluerit. Inter haec infimum minime locum obtinent aquae minera-

les, & ſoterii fontes, quos ſingulari fructu pro potu, aliquando etiam pro balneo, adhibere conſuetum eſt. Et cum hucusque, quantum mihi conſtat, *acidulae Brabacenſes* à nemine adhuc deſcriptae ſint, animum protinus ſubiit, quaedam de ipſarum natura ac viribus in medium proferre; qua quidem in tractatione tanto erimus breviores, quanto plures jam ante nos de acidularum in genere viribus, deſcriptionem in lucem dedere. Verum enim vero dolendum & hic loci eſt, quod humanum ingenium in adſignandis re-

rum

rum pretiis, non tam, quod inſignem uſum nobis praeſtat, quam quod raritate ſua ſe commendat, reſpiciat. Unde videmus, quod ea, quae bona, quae neceſſaria & ad manus ſunt, communiſſime negligantur. Sordent vulgo pharmaca domeſtica, exotica avide quaeruntur, hanc ſolam ob cauſam, quia rara ſunt, ut ut medendi vi iſtis non raro multum cedant. Ante omnia vero divini *Hippocratis* monitum, in principio libri de aëribus, aquis & locis, me invitavit, ut *aquarum Brabacenſium* inſtituerem examen,

quando ita loquitur : *Quicunque artem medicam integre aſſequi velit, primo temporum anni rationem habere debet, deinde ventorum, qui cuivis regioni proprii, neque negligentiorem ſe circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere convenit ; quemadmodum enim guſtu differunt & pondere, ac ſtatione : ſic quoque aliae aliis longe praeſtant, has, ſi quis urbem ſibi incognitam perveniat, diligenter oportet perſcrutari.* Haec duo certe, aqua nempe & aër, primum obtinent locum ex iis, quae ſanitatem & morbos pariunt.

Nam

Nam aër & aqua maxime motum, in quo vitae integritas conſiſtit, in humano adminiſtrant corpore. Nemo enim aqua carere poteſt, haec calefacit, ſiccat, refrigerat atque humectat, corporis evacuationes promovet omnes, & etiam cohibet. Aquae praeprimis ſimplicis potus eſt antiquiſſimus, & hodie adhuc tenuioris fortunae hominibus pro uſu inſervit quotidiano. Nec mirum, ipſam non officere ſanitati, ſed potius conferre, imo nutritioni inſervire; cum celerrime viſcera & venas tranſeat, cibos ſolidiores colliquefaciat, ac corpora propter abſum-

abſumtam humiditatem ineptiora, ad recipienda alimenta diſponat, ſaliumque acrimoniam temperet. Inprimis vero fontes acidi ſunt ſalubres, & ſano ſenſu miraculoſi: nunquam enim talismodi ſtupendi effectus ab alio quodam remedio, quam ab acidulis & thermis, viſuntur. Perutile ergo, imo neceſſarium, ut medici aquarum hinc inde provenientium acidarum vires explorent, ſicque cum fructu pro ſalute aegrotorum medicinam faciant. Introite, etiam hic Dii ſunt, ajebat olim Philoſophus, in contemtam ſuam caſulam invitans praetereuntes:

Ita

Ita quoque omnes hiſce invito ad *Nymphas Brabacenſes*, nam & in ipſis Numen elucet. Maneat gemmis & auro ſua dignitas, & ſic quoque aliis aquis laus ſua conſtet; noſtrae tamen *Brabacenſes* hinc neque damnandae, neque exterminandae, ſed potius prius examinandae, & laudibus condignis condecorandae erunt. Ne autem coeco encomio ducti videamur, aquas modo dictas ex principiis Phyſicis, Chymicis & experientia tradam: Singula vero ut ad divini Nominis gloriam, proximi ſalutem commodumque noſtrum vergant, ex animo vovemus.

CAPUT.

CAPUT I.

DE

Scaturiginis Acidularum Brabacenſium loco.

SIcuti pluribus Germaniae locis profluunt acidi fontes, ita etiam inprimis iis dives eſt inclytus principatus Naſſavicus. De aliis non dicam; aperuit multis retro annis divina omnipotentia, infinitae bonitatis & miſericordiae donum, in vicino pago *Brabach*, ad praefecturam *Mengerskirchenſem* pertinente, ſcaturiginem acidi fontis, magno cum impetu proſilientem. Et cum in vicinia diverſi reperiantur acidi fontes, vix niſi incolarum cohors ad ejus confluxit uſum. Increbuit fama ſenſim ſenſimque, ita ut nunc etiam ad diverſas civitates, viribus ejus incla-

inclareſcentibus, magna advehatur copia. Cum enim divini Numinis gratia, ab ejus uſu non pauci ſolamen ſentirent, factis indies pluribus experimentis, nomen meruit, & fama crebriori uſu aucta eſt. In hoc rerum ſtatu ipſe *Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn.* CHRISTIANUS, *Princeps Naſſaviae, Comes Cattimeliboci, Viandae & Deciae, Dominus Beilſteinii, Ordinis à S. Huberti Eques, & legionis pedeſtris foederati Belgii Dux*, Dominus meus Clementiſſimus, ſaluti non minus ſubditorum, quam aliorum intentus, eundem fontem lapidibus ex marmore quadratis cingi, & in corona ſequenti inſcriptione ornari mandavit, quo ita ex hoc divite cornu, puriores & ab adulterinis ſequeſtratae hauriri aquae poſſent.

FONS.

FONS.

OLIM. IGNOTVS. VIRES. IGNORABAM. PROPRIAS
PAGIS. INSERVIENS
NEPTUNI. EX. GENTE. PROGENIES. PAGANA
CVM. PATRE. SPERNEBAR. GENTILI.
USQUE. DUM. CHRISTIANUS
PRINCEPS

CHRISTIANUS
NASSAVICVS

TERRITORII. DOMINUS. ET. TU-
TOR. UNDAE
GNARVS. VNDE. ORIGINEM. TRAHIT. SANITAS
AB. INCUNABULIS. PURIFICATIS
NON. INSIPIDVM. ME. CREABAT. MEDICVM
GUSTA. QUALIS. SIM
JUDICA. SANE. DE. GUSTIBUS
QVI. PROSVNT. DELECTANDO
SENTIES
AESCULAPIUM. MIHI. FAVENTEM
BACCHVM. ADDICTVM
EXTERMINATO. SCILICET. ACCESSV. PALVDIVM
DVLCes. A. Me. fLVVnt. aqVae

Erum-

Erumpit hic fons ad radices montis in prato dicto die Pfaffen-Wieſe / ubi in praeterlabentem rivum, qui vocatur die Faulbach / ſe exonerat. Regionis tanta eſt ſuavitas, ut ubique mentis & corporis lumina naturae deprehendant benignitatem. Montes enim proximi, quorum unus vocatur das Stämmchen / alter die Haubach / ſaluberrimis herbis comati, ſeptique arboribus foecundiſſimis conſpiciuntur. Prata rident gramine & floribus, cunctique circumjacentes agri larga luxuriant ſegete. Interna montium ſi luſtramus, Martis in priori, in altero autem Veneris reperimus venam, ita ut nullibi non animorum nobis obveniat delectamentum. Hodie adhuc inſignis hujus acidi fontis uſus incolis conſtat, & cum ſenſus, & ratio, & experientia confirment medicamentoſas ejus virtutes, injuſtum foret, quia vicinus nobis, non ſpeciatim, quid praeſtet, demonſtretur.

Caput II.

DE

Natura & qualitatibus acidularum Brabacenſium externis.

ANte omnia, cum de ſalubritate acidularum Brabacenſium hic ſermo ſit, primo demonſtrandum nobis erit, quid per ſalubritatem intelligamus, & in quo natura ſalubritatis conſiſtat: ad quod demonſtrandum ſupponimus juxta uſitatam, & omnium votis probatam paroemiam, vitam noſtram in motu conſiſtere. Communior videtur altera: Calido nos vivere, humido nutriri; motus tamen ſingulis largitur primum momentum, ita, ut ipſum ſolummodo vitalem dicamus, qui motu citetur in actum, & hinc motus largitur primum & ultimum homini. Et cum homo duplici vita gaudeat, una in corde locata, à quo omnia, & ad quod omnia eunt

redeunt-

redeuntque; Altera, quae mentis eſt, longe quidem nobiliori, ſi effectus ſpectemus: Neceſſario illud ſalubre nominamus, quod motum vitalem conſervat, & nulla ratione actiones corporis naturales laedit vel imminuit; *Tale autem illud eſt*, ut loquitur Ill. HOFFMANNUS in Diſſert. Phyſico Medic. *Quod cauſam harum actionum, intelligo naturam noſtram, auget, conſervat atque erigit.* Et demum ita concludit; *quod humores fluidos ſervat, quod excretiones promovet, vias patulas reddit, neceſſario ſalubre eſſe debet.*

Si naturam & qualitates aquarum noſtrarum examinamus, primo ſcaturientes easdem ex terra contemplamur, prout nempe conveniunt, aut ab aquis diſcernuntur vulgaribus. Secundo notandum nobis erit, quibus impraegnatae mineris reperiantur. Operae hinc pretium fuerit, paulo penitius luſtrare earundum phaenomena, & quidem nunc externe ſenſus incurrentes qualitates; Ita tamen, ut ipſae nobis ſint ceu fundamentum, ex quo *acidularum Brabacenſium* cognoſcamus ſalubritatem.

tem. Omnis quidem aqua eſt congeries particularum tertii elementi oblongarum, levium & anguillarum inſtar lubricarum, flexilium & inflexilium, quarum quae flexiles ſunt, ab immiſta materia ſubtili convolvuntur, & verſantur circa inflexiles, ut loquitur cum CARTESIO Cl. ANDALA *Exercitat. 8.* & JOHANNES BAPTISTA DU HAMEL Cap. 3. libr. 1. *De meteoris.* Magis eleganter l.c. dicit HIPPOCRATES, *multum inter ſe differunt aquae, & guſtu, & pondere, & ſtatione, & virtute aliae aliis praeſtant.* Quo ipſo innuit, quamvis homogenea videatur, ipſam tamen eſſe heterogeneam. Spiritus aethereus eſt fluiditatis motusque inteſtini cauſa, humidum vero eſt vehiculum ſpiritus. Si enim aqua ex ejusmodi partibus non conſtaret, non tam libere, quam ſolet, illaberetur corporibus, & particulas terrae & ſalis abſorberet, firmiterque contineret. Et cum in congregatis ita ſe habeat partibus aqueis, ut magnitudine neceſſario inter ſe differant, nemini mirum eſſe debet, aquae partes non

omnino

omnino ſibi poſſe eſſe aequales, ſed magnam debere ratione corporis, cujus ſubit poros, inter ipſas eſſe diverſitatem: quippe tales ſunt aquae elogio Plinii Libr. 30. qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, ſucci. Idque effatum commune & antiquum eſſe confirmat Theophrastus Libr. 6. Cap. 3. Cum enim fontes per interiora moveantur terrae viſcera, in quibus terrae metallicae & generis varii ſalia minus denſa reperiuntur, manifeſtum eſt, quod ab hiſce aqua illa abripere, & ſecum advehere mineralium minima, vel fumos, vapores aut Spiritus eorundem poſſit. Conſentit etiam huic ſententiae Becherus in Phyſica ſua ſubterranea, quando ita loquitur: *Conſtant aquae minerales ex acido terrae centrali perpetuo inexhauribili, cui minima mineralium pars eſt admixta, nam profecto eae vires, quae inſunt aquis mineralibus, minime arceſſendae ſunt a contentis illis craſſis mineralibus, ſed potius ab incoercibili earundem ſpirituoſitate & volatilitate.* Quo etiam alludit Pa-

LINGENIUS in ZODIAC. p. m. 318. ſic canens :

Haec terrae occultas perlabitur unda cavernas:
Et fluit ac refluit ſemper, variumque ſaporem
Accipit : ut varia eſt tellus, per viſcera cujus
Tranſit, ſulfureumque à ſulfure mittit odorem.
Hinc eſt aeterno quod tempore flumina currunt :
Quippe ſuos repetunt fontes, iterumque marinos
Ad fluctus properant, illinc reditura viciſſim.
Hac abeunt, illac redeunt, & aguntur in orbem
Aſſidue, vegetantque, ut ſanguis corpora, terram :
Haec eadem facit unda lacus, craſſasque paludes,
Nec non perſpicuos fontes, puteosque perennes.
Denique ab Oceano emanat vis omnis aquarum,

Quae-

Quaſcunque orbis habet: lymphas hic edidit omnes,
Partim ſub terra, partim ſupra ingredientes,
Partim etiam nigris de nubibus egredientes.

Si ergo propinquius examinemus per ſenſuum concilium *acidulas Brabacenſes*, color limpidus & cryſtallinus eſt, bullaeque ad latera vitri copioſe ſe exerunt: infuſae vitro minutiſſimis moleculis ſurſum proſilientibus viſum delectant. Efficitur color ipſe limpidus & cryſtallinus à tali molecularum aquearum ſitu, ut nullum tranſeuntibus radiis viſivis obſtaculum objiciant; facile enim per plurima interſtitia globulorum preſſio ſecundum lineas rectas continuatur, niſi aqua ſit profundiſſima, aut agitetur motu externo, aut aquae pori inconvenienti obſtruantur materia, ut fieri ſolet, quando turbida redditur. Bullae & minutiſſimae moleculae in aquis noſtris excitantur à vario materiae ſubtilis motu, quam illas copioſe cingere, & interſtitia, quae inter aqueas particulas re-

linquuntur, diverſimode implere facile colligimus.

Fluit ex conſiſtentia *acidularum Brabacenſium*, quod vix limpidae magis vel ſplendidiores eſſe poſſint, optimo nobis argumento, quod in ipſis adverſus morbos inſigne munimentum ſit. Adhaec ſunt leviſſimae: levitas autem eſt princeps aquarum virtus, ſicque neceſſario viſcera celerrime tranſeunt, & in ſingulis, ſi reliqua conveniant, urinam, ſudorem vel alvum provocant, haud aliquo in hypochondriis excitato tumultu. Quod vero pellucidus hic & argenteus color, multum faciat ad aquae praeſtantiam, hoc probat exemplo ab aqua Niloetica deſumto PROSPER ALPINUS Libr. X. p. 23. Sic etiam aqua noſtra nihil per diuturnam in phialis moram in fundum deponit, niſi quod fuerint apertae, ſicque poſt ſpirituum exhalationem ſedimentum quoddam appareat minerale aut metallicum. Ulterius fontis noſtri ſalubritatem & eximias virtutes ex copioſis quando hauritur bullis & minutiſſimis moleculis ſurſum proſilien-

ſilientibus probamus : ſiquidem hae notant copioſam aethereae materiae, intra poros aquae latitantis ſubſtantiam, quae maximum addit aqueis partibus motum, ne in hypochondriis fluctuent, vel diutius juſto moras nectant.

Odor ex aquis noſtris ſubtilis ſpirat non ingratus, generis ſui, aequiparandus odori phlegmatis vitrioli, vel ut nitrum, aut antimonium vel ſulphur, ſub deſtillatione aliisque Chymicis operationibus de ſe ſolet fundere. Facile hinc intelligitur, quod aqua noſtra à materia ſubtili valde agitetur & volvatur, & quod haec ſubtilis materia habeat in ipſa celerrimum motum. Ex odore halituumque ſpirituoſorum copia, qui nares & oculos bibentium feriunt, probamus iterum ſalubritatem aquarum noſtrarum ; hinc quoque ad fontem hauſtae longe ſunt praeſtantiores ipſis, quae ad alia loca transferuntur. Hoc etiam teſtatur GAERINGIUS in deſcription. Spadanar. p. 15. quando ait : *Curioſum eſt, quod acidulæ illæ, quae Spiritibus*

ſive exhalationibus ſulphureis refertae ſunt, aliis acidulis, quae carent ſpiritu, longe leviores ſint: quod valet maxime de aqua Spadana, nempe illo fonte, qui dicitur Savenir, & dimidii milliaris ſpatio ſejunctus eſt à pago. Hic longe levior eſt, & validus venas penetrat, citiusque vires ſuas perficit, quam fons pagi, unde etiam a ſcaturiginis loco ſine virium amiſſione transportari nequit, ſed ad pagum vicinum ſolummodo translatus gravior efficitur, amiſſis nempe in itinere ſpiritibus levitatis cauſa. Quod autem acidulis horum ſpirituum praeſentia eſſentiam conſtituat, optime probat Ill. HOFFMANNUS *Diſſert. Phyſ. Med. pag. 170.* & ſeq. Et ſane ſi examinamus noſtras aquas experimento Ill. BRUNNERI, de quo mentio fit in Miſc. G. Dec. 3. An. 5. Obſerv. 292. adeo activas & elaſticas reperimus illas, ut mox in bullas deſpument; Argumento nobis manifeſtiſſimo, magnam ipſis ineſſe Spirituum copiam. Quo enim major rarefactio, agitatio & expanſio interna, eo leviores ſunt partes aquae, hincque facillima in bullas deſpumatio.

Sapor

Sapor activitatem faucibus offert Salino-Sulphuream, citra tamen aliquam conſtrictionem inſigniorem: Et quidem ipſe ſapor provenit ex ſalium mineralium, quos aquae noſtrae vehunt, inflexibilitate. Quod enim aqua dulcis ſit inſipida, & molliter ſupra linguam fluat, ipſarum flexilis natura facit; quae autem aliis qualitatibus armatae ſunt, cuſpides erigunt, & telorum inſtar linguae poros ingrediuntur.

Piſces & ranae ob inexiſtentiam acidi aquas noſtras ſuſtinere nequeunt, hinc ſtatim in ipſis, ni mox in aliam dulcem transferantur, emoriuntur. Sic etiam ſatis diu à corruptione conſervantur, ſi vaſa probe obthurentur. Notum enim eſt, nihil tam celeriter liquidorum craſin turbare, quam aërem externum. Hoc vina probant, in doliis ſemiplenis mox ſitum contrahentia. Denique absque omni moleſtia magna aquae noſtrae quantitas hauſta, per alvum & urinam ſecedit, & cito calefit, citoque refrigeratur; quam leviſſimam & optimam eſſe judicat

HIP-

Hippocrates Aphor. 26. Sect. 5. Neque hoc effatum magni ſenis caret fundamento, nam cum calor nihil aliud ſit, quam motus aetheris velociſſimus, qui dum oritur in liquidis, particulae eorum agitantur variis modis, & ſpirituoſas, ſi quas intrinſecus alunt, facilius in motum abripiunt. Quod autem calor pleraque rarefaciat corpora, hoc videmus ex.gr. in Thermometro, vel veſica igni admota. Neceſſario ergo liquores ebullientes, quibus plus aetheris ineſt, in tam anguſto loco non poſſunt contineri, ſed mox tenues abeunt in auras. Celerrima vero refrigeratio aquarum noſtrarum nobis pariter ipſarum indigitat levitatem; nam quae texturae tenuioris ſunt corpora, frigoris aliis facilius vim ſentiunt. Effoetae ergo & torpidae illae non ſunt, vectae enim & obturatis aeſtate calida ſtrictius vaſis diſrumpuntur ipſa, idque faciunt recenter collectae, & vivido ſuo ſpiritu repletae. Simile quid refert Gründelius *de Acidulis Roitſchenſium* pag. 58. quando hunc in modum ſcribit:

Mihi

Mihi contigit, dum elapſa hyeme magnum & craſſum vitrum aliquot menſurarum, rite veſica bubula clauſum & munitum in cubiculo meo reſervarem, ubi ab initio turgentes ſpiritus veſicam elevantes duxerunt in eam figuram ſphaericam, poſtmodum vero, dum praeter voluntatem meam magis ſolito calefactum fuerat, ſpiritus iſti etiam magis excitati & rarefacti plus ſpatii occupare volentes, exitum quaeſiverunt, qui tamen per fortiorem clauſuram impeditus eſt, hinc craſſum hoc vitrum magno cum impetu diſruptum eſt in fruſta, cum omnium acidularum per cubiculum diffuſione.

CAPUT III.

DE

Natura & qualitatibus acidularum Brabacenſium internis.

POſtquam perluſtravimus qualitates *acidularum Brabacenſium* externas, ſuper-

ſupereſt, ut examinemus elementa & contenta ipſarum interna, à quibus virtus ſalubris petenda quoque venit. Initium autem facimus à conſideratione loci ipſius, è quo emanant, qualia ſint metalla, quae illic, aut in vicinia effodiantur. Jam autem conſtat, & incolae hujus regionis docent, magnam in vicinia fontis erui ferri copiam. Non dicam de inclyto Principatu Naſſaviae reliquo, in quo Martis vena, praeprimis in Principatu Dillaeburgenſi & Sigenenſi, largiſſime effuſa eſt. In fonte & aquis noſtris *Brabacenſibus*, vel ſolus ſapor acidus Martem, ſeu ſolius ochrae flaveſcentis evidentia, ſpecifice docent. Si enim ochram, quam colligunt canales, probe depuramus & ſiccamus, magneti facile adhaereſcit, & in igne fluit. Experimenti hujus pereximii primus Auctor eſt Vir Excellentiſſimus, & artis medendi peritiſſimus Dn. Doctor Georgius Christophorus Moellerus, Camerae Imperialis Archiater meritiſſimus, amicus noſter ſingularis, qui idem noviſſime, cum Sereniſſi-

mae

mae cuidam Perſonae ambo Medicinam faceremus, fuſius coram declaravit. In acidulis noſtris nullum praeter ferrum reperibile fuit metallum, etiamſi per evaporationem, deſtillationem, praecipitationem, putrefactionem, alteriusve rei admixtionem exploraverim. Merito ergo ipſas, cum Teſte Ill. HOFFMANNO in Diſſert. Phyſico-Med. Mars omnium ſit ſaluberrimus, aut omnibus aliis ſalubritate pares, aut ſuperiores multis exiſtimamus.

Quod ſi deſtillationi aut evaporationi ſubjiciantur, ſubſtantia volatilis cum non aeque per alembicum tranſeat, haud ſeparari poteſt, fixior vero pars remanet; ſubtiliores enim & elaſticae particulae non includi centro aquei phlegmatis ſe patiuntur. Hinc vero non ſequitur, quod virtute & activitate acidulis convenienti deſtituantur, cum potius hoc inter bonitatis aquarum acidarum referatur notas. Quod remanet in aquis noſtris inſtituta deſtillatione, exhibet ſal egregium alcalicum, quod cum acidis efferveſcit.

De

De Sale communi non participant, nam quod in fundo poſt evaporationem remanet, non etiamſi elotum, & ab heterogeneis partibus ſeparatum ſit, in cryſtallos abit. Jam non dicam de veritatis hujus documentis aliis, in argento & igne inſtitutis. Vitriolum etiam nullum ex ipſis concreſcit, quacunque etiam ratione inſtituatur experimentum. Et quamvis cum gallis commixtae colorem mutent, nunquam tamen colorem acquirunt nigrum, ſed rubellum vel purpureum. Quod nobis indicat, aquis noſtris non ſolum parum ineſſe vitrioli, ſed etiam ineſſe ipſis vitriolum volatile. Confirmant hoc gallae, ipſis prius coctis injectae. Quod autem in iſto volatili minerali principio deſideratiſſima aquarum acidarum virtus ſit, optime demonſtrat Ill. HOFFMANN. jam citata Diſſert. Alvi feces ab adſumtis aquis noſtris conſueta martialibus nigredine tinguntur: quod croco Martis ab acido hypochondriaco reſoluto & remixto adſcribendum. Porro impoſitione folii quercini recenter avulſi, atomis

atomis ferri illud ita obducitur, ut coeruleum vel nigricantem prae ſe ferat colorem; & in extracto herbae Thee quid ſimile faciunt. Spectaculo jucundo admixtione Sacchari & Vini Rhenani inſtar Tönnigſteinenſium acidularum fervent & exultant cum ſpumis tumentibus albis. Et ut Virgil. libr. VII. Æneid. canit,

Exſultant aeſtu latices, furit intus aquae vis,
Fumidus, atque alte ſpumis exuberat amnis:
Nec jam ſe capit unda: volat vapor ater ad auras.

Hanc ſpumoſam ebullitionem cauſatur conflictus acidi vinoſi cum ſale, quod in ipſis reconditum eſt, alcalino, & dum hoc fit ſpirituoſae partes commotae exitum ſibi parant ſub forma vaporis atri, fortiter nares ferientis. Denique ſi acidulis *Brabacenſibus* conchae uſtae commiſcentur, & per

 dies

dies aliquot ſervantur, ſubtilis ochra ad fundum praecipitatur. Praeterea ſal alcalinum aquarum noſtrarum, Syrupo violarum mixtum, viridem inducit colorem: quo arguitur, ipſis ineſſe ſulphur, quod tamen aliis ulterius examinandum relinquo. Calcarium vero lapidem aquas noſtras ſecum vehere probat oleum tartari, cum mox ab ipſo infuſo albeſcant. Nitro, inſtitutis variis experimentis, non ſunt imbutae, ſed potius ſal quoddam ferme incognitum habent, ut in plurimis Germaniae acidulis illud reperiri ſolet. Vocatur illud ſal à *Liſtero* nitrum calcarium; verba ejus in libro de aquis Angliae haec ſunt: *Ad haec Salia quintum genus adjiciendum eſt, quamvis e minus cognitis, tamen quod omnium longe copioſiſſimum eſt, nimirum ſal ſive nitrum calcarium.* & pag. 13. haec habet: *hujus ſalis minus cogniti (etiamſi omnium ſalium foſſilium certe apud nos frequentiſſimi) Cryſtalli tenues longaeque ſunt, iisque mediis quatuor latera paralelagramma ſunt, & ferè in aequalia; ex*

ex altera vero parte, ipſi mucro ex binis planis lateribus triangularibus formatur. Nitri hujus calcarii geneſin deducit Ill. HOFFMAN. ex combinatione acidi ſulphurei & calcaria terra, quando *Diſſert. Phyſ.* pag. 201. ita loquitur: *Hoc acido ſulphureo ſi impraegnata fuerit aqua, & fluat poſtea per terram calcariam, quae magnos diſtrictus Germaniae occupans reperitur, tunc invicem confligunt, & ſub hoc conflictu coeunt in ſal amaricantis naturae. Eleganti experimento hic unionis modus declarari poteſt, ſi nempe acidum ſulphuris vulgaris combinatur cum alcali quodam, exſurgit tunc ſal ſui generis amaricans, abſterſivum & egregium deoppilans.*

Forte jam haec pauca ſufficere queunt ad explorandam naturam, noſcendas qualitates & contenta *acidularum Brabacenſium*: ut certo conceptui formando inſerviant; Liceat ergo definitionem ſubnectere ſequentem: ACIDULAE BRABACENSES *ſunt aquae medicatae, perennes, leniter acidae, nativae, ſale alcalino, croco Martis*

& Spiritu vitriolico minerali citra efferveſcentiam diffuſo impraegnatae. Generis locum tenet aqua, quo cum aliis convenit omnibus, eaque vivida perenni ſcaturigine effuſa, ſicque, ut ſenſus teſtantur, nulla artis ope facta, ſed nativa ſuaque. Differentiam ſpecificam ab uſu: acidae enim ſunt, medicatae, ſeu corpori, ut omne medicamentum, alterando proficuae, non noxiae aut deleteriae, ſed re ipſa medicinales.

CAPUT IV.

DE

Viribus acidularum Brabacenſium in Morbis.

Propria quidem nunc effulgent dignitate atque encomiis *acidulae Brabacenſes*, etiam alias decantatae ſatis incolis iſtius regionis, ut ceu panacea quaedam ab ipſis reputentur, & aſy-

lum

ſum quaſi, divinumque remedium in morbis habeantur. Interim tamen, ſi experientiae addatur ratio, luce fulget majori ſaluberrimus ipſarum uſus in quamplurimus morborum generibus.

Principium agendi conſtituunt qualitates acidularum noſtrarum; modos vero agendi, ab ingredientium particularum modulo deducimus; ita tamen, ut ſubjectum, in quod recipiuntur, minime excludamus. Hoc poſito ponitur ſeries plurimorum attributorum, eo vero ſublato cetera omnia tolluntur, nullumque exiſtere poteſt. Conſideramus enim qualitates, ut eſſentiam internam, & hanc tanquam attributum ſubſtantiale, quod eſt omnium primum & maxime principale, imo ſubjectum & fons ceterorum omnium, quod reliqua omnia, præſupponunt, & ſine quo nec eſſe, nec concipi poſſunt.

Si ergo generales *aquarum noſtrarum* vires, juxta ipſarum principia conſtitutiva conſideramus, refrigerant, calefaciunt,

faciunt, adſtringunt, exſiccant, attenuant, reſolvunt, aperiunt, incidunt, mundificant, eluunt, abſorbent, temperant, diſcutiunt, tonum roborant; motum perverſum corrigunt, nimium ſiſtunt, & tardum promovent, alvum, urinam, inſenſibilem transſpirationem, imo totum corpus per omnia emunctoria evacuant; ſicque temperant & corrigunt inſigniter morboſa inquinamenta diverſiſſima. Ex dictis jam facile patet, *acidulas Brabacenſes* plurimis morbis mederi, praecipue adfectibus ac intemperiebus chronicis, in quibus aut abſtergendum, aperiendum, reſolvendum & roborandum eſt. Hoc enim perficiunt tum fluiditate ſua, tum aliis elementis diverſimode variantibus. Optime vero aperiunt, & ſalia peregrina abſorbent, ſecumque per organa excretoria educunt: atqui ſic compluribus aliis remedii univerſalis vires exſequuntur. Merito hinc mererentur titulum aquae benedictae, polychreſtae & catholicae.

Acidulae itaque noſtrae cumprimis conducunt, ubi ſalvis pulmonibus & viſceribus aliis, primae digeſtionis vitia indicant, aut laxitatem roborandam, aut bilioſos, acidos, acres temperandos eſſe humores. Vel etiam ubi calidi peccant, habitu corporis magis ſicciore & ſqualido: penetrant enim ſpiritu ſuo, quo pollent, minerali totum corpus, ac penitiſſimos ejus receſſus ſubeunt, eluendo obſtructiones, & coagulationes reſolvendo, ſalia peregrina abſorbendo & evacuando. Unde ſimul cum aliis curant cephalalgiam periodicam, dolores ſcorbuticos, vertiginem hypochondriacam, Epilepſiam ſymptomaticam, incubum, palpitationem cordis, aſthma flatulentum, tinnitum aurium, tuſſim a ventriculo, icterum flavum & nigrum, affectionem hypochondriacam, hyſtericam, ſcorbutum. Valent quoque in Scirrho hepatis, lienis aliorumque viſcerum & glandularum, indeque nata Tabe: Renum Ureterum & veſicae dolores ſiſtunt,

materiamque viſcidam, tartaream atque ſabuloſam inde expellunt ; in arthritide, nondum fixo coagulo tartareo, officium faciunt : ſuppreſſos menſes & haemorrhoides revocant : in diarrhoeis bilioſis, Febribus tertianis & quartanis ſuum etiam auxilium nobis promittunt, atque omne illud ſpondent, quod unquam Deo benedicente, ab aliquo acido fonte, in his illisque adfectibus, in ſpecie obſervatum fuit. Quos vero Germaniae fontes in ſpecie affectus curant, hos recenſet WECKERUS.

CAPUT V.

DE

Legitimo Brabacenſibus acidulis utendi modo.

SEd dum hic vires aquarum noſtrarum enarramus, minime, niſi easdem diffamatas velimus, omnes

ſine

ſine contraindicantium & permittentium ſerie, ad easdem ablegamus; ſed ritu decenti per graduum partes fiant omnia neceſſe eſt. Fugiant autem, ut omnes alias, ſic etiam aquas noſtras acidas, quibus vires proſtratae, & qui actu decumbunt, ventriculumque ratione ſubſtantiae debiliorem & frigidiorem habent; quod ſi aliquando decumbentes uti velint, nunquam hoc fiat, niſi ſuaſu medici prudentis. Quibus nervoſum genus tenerum valde, abſint illarum uſu. Non minus huc pertinent aetate & morbo cachectico confecti, maturius enim apoplexia & hydrope conficiuntur, & ita ad cymbam Charontis navigant. Temperamentum acidulis aptum ſit calidum, non frigidum: ætatem requirunt magis mediam, nam infantum haec non eſt curatio: proſunt utrique ſexui; comparatione facta, magis virili. Cavendum ab ipſis gravidis ante quintum, & poſt ſeptimum geſtationis menſem; de quo videri poteſt RIDLINUS, WEDELIUS,

CAMERARIUS, HEERIUS & CUNAEUS. Potiſſimum ſtatus viſcerum in admittendo & ſuadendo hoc uſu ſpectari debet. Qui pulmones adfectos, viſceraque non amplius firma habent, ab acidulis laeduntur: Hinc hydropicis, phthiſicis & aſthmaticis nocent. Minus etiam utiles erunt in Catarrhis ad pectus depluentibus: diarrhoeis ac dyſenteriis epidemicis laborantes, non temere adeant fontes acidos; ſic etiam qui calculo veſicae & renum grandiori, aut ulcere dictarum partium laborant, vel gallica lue; quibus tota maſſa ſanguinea corrupta eſt, iis infeliciter cedunt.

Verno tempore magis bibi ſolent acidulae, nam illud prae reliquis temporibus hac illuſtratur praerogativa, ut loquitur CHRISTIANUS LANGIUS pag. 72. quod in eo cum notabili ſolis adſcenſu omnis terrae ſoboles, quae hyemis ſphacelo quaſi emortua jacuit, potenter reſurgat, cum augmento vitali refloreſcat, & ſic primordiali ſuo vigore atque humido imbuatur.

tur. Quid ergo mirum, quod, quando jam redierunt gramina campis, partim temperie coeli corpusque animusque juventur. Aptas ſpeciatim videmus acidulas menſe Majo, Junio, Julio & Auguſto. Poſſunt etiam cum fructu hauriri Martio menſe & ſeptembri, imo ipſa hyeme, ceteris paribus, ad ignem luculentum, aut in cubiculo probe calefacto. Teſtatur enim HEERIUS, ſe ſpadanas in vigilia nativitatis Domini acriores guſtaſſe, quam ullo unquam aeſtuante Syrio. Omni autem tempore conducet, ut corpus defendatur ab aëris injuriis, praeprimis frigidis & pluvioſis: natura enim hominis non ſine indignatione & moleſtia ferre poterit, uno tempore interne & externe frigidis humidisque obrui. Matutinum tempus, jejuno corpore, deſtinatum eſt uſui; Inter prandendum nocent aquae vino commixtae, niſi quod ventriculus ferat. Qui non contenti ſunt matutino potu, plus ſemper ſibi nocent pomeridiano. Vetus dictum eſt: Dulcius

ex

ex ipſo fonte bibuntur aquae. Optandum eſſet, ut *aquae Brabacenſes* Anteceſſoribus noſtris fuiſſent cognitae & exploratae, forſan aedificia, aliaque commoda bibentibus neceſſaria, jam eſſent parata. Pro nunc quidem, niſi apud ruſticam illius loci gentem vivere quis amet, non, niſi transportatae in commodiorem locum, cum fructu ſingulari bibuntur. Fateor quidem, multum conferre ſanitati, ſalientes & ſpiritibus turgidas ſalutare Nymphas: interim & conducent aquae noſtrae adportatae, ſubere & pice bene munitae.

Ante potum Aquarum corporis praeparatio erit praemittenda, & quidem remediis cruditates ſeu humores in primis viis haerentes corrigentibus atque evacuantibus: quod fieri conſultum eſt digeſtivis, Tartaro vitriolato, Arcan. duplicato, Cremore tartari ſalibusque fixis, ac ſimilibus; juxta illud HIPPOCRATIS Sect. VII. Aphor. 70. humores ſic praeparati poſtmodum expurgabuntur, exhibito leni

leni evacuante. Venaeſectioni adſuetis, plethoricis, vena quoque in brachio vel pede, poſt ſecundam a purgante medicamento diem, incidi poteſt. Praeparato ſic corpore; non omiſſis ante omnia precibus, in nomine Dei inchoandus acidularum noſtrarum potus, & ſumendae actu frigidae à robuſtis, ab aliis vero calefactae. Calefactae enim non ſuas amittunt virtutes ſed egregias adhuc obtinent & exerunt, quod abunde nobiles Schvvalbacenſes, Tönnigſteinenſes & Selcerienſes confirmant, quas non ſemel hac methodo, feliciſſimo ſubſequente effectu aegris ſuaſimus.

Bibendae, ut ſenſim ad ſummam doſin perveniatur, tantum tamen bibendum, quantum ordo gradusque definiunt, cumprimis aegri ἐυφορίᾳ. Vid. HEERIUS p. 101. Peſſime conſulunt ſanitati ſuae, qui confeſtim & cum impetu acidulas bibunt. Elogio enim CELSI, tuta non ſunt praeſidia, quae ſubita.

Solent